

# ARISTOTELIS STAGIRITÆ

DE REPUBLICA LIB. VIII.

*Interprete & Enarratore.*

IO. GENESIO SEPVLVEDA CORDVBENSI.

*Quibus iam adiecti sunt.*

KYRIACI STROZÆ DE REPVB.

lib. duo: videlicet,

NONVS ET DECIMVS,

Græcè conscripti, nunc ab eodem Stroza latinitate donati.



*Ex Libreria de  
Cot. N. de la com  
po de H. de sal.*

COLONIAE AGRIPPINAE,

In Officina Birckmannica sumptibus Arnoldi Mylij.

ANNO MD. LXXI.

*Cum gratia & privilegio Sac. Caf. Maiestatis.*

COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM

# AD PHILIPPVM HISPA- NIARVM PRINCIPEM

IO. GENESII SEPVLVEDAE IN LI-  
BROS ARISTOTELIS DE REP. A SE  
CONVERSOS ET ENARRATOS,

## PRAEFATIO.



*VI de scientiarum doctrinarumq; comparatione differunt, Princeps clarissime Philippe, horum ut arbitror, nemo qui quidem via & ratione philosopharetur, dubitavit in earum genere, quae res agendas attingunt, civili facultati tribuere principatū. Quae licet pateat latissime, & ad omnem moralem doctrinam pertineat, propriè tamen hac esse intelligitur, quae reges & principes viriq; prudentes instructi, leges condunt, & regnare republicasq; gubernant, ut Plato docet, quae eandem solet modo civilem, modo regiam facultatem nominare. Hanc Aristoteles octo libris qui Politica, hoc est de Rep. inscribuntur, complexus est: atque ita persecutus, ut nihil ad summam prudentiam atq; doctrinam reliquifecisse videatur. Nam primum ut via & ratione commentatio procedat, diligenter de domo & domestica facultate, quae graecè dicitur Oeconomica, simulq; de paranda rei familiaris multiplici variatione disputat, & quae sit naturalis, quae artificiosa, quae honesta, quae turpis, quae natura quoq; inimica, declarat. Deinde cū tres sint status Reip. qui iure laudantur, Regnum, Status optimatum, & quae cōmuni vocabulo Respublica dicitur, quomodo eorum quisq; constituatur, & per mores ac instituta cōservetur, & quibus rebus vicissim pereat & labefactetur, diuina quaedā facultate persequitur: quod idem facit in tribus alijs generibus, tyrannide, paucorum potentia, & statu populari, quae aberrationes, & quasi peccata rerum publicarum appellat, ut harum turpitudine, atque incommodis explicatis, & artibus, ac dolis quos ad eas instituendas & cōservandas callidi homines adhibere solent expositis, contrariarum honestas & commoditates sint notiores. Ac eisdem omnifariam consulendi, & cupidorum hominum & in bona reipub. rebus novis studentium conatibus & fraudibus occurrendi ratio*

# ARISTOTELIS DE RE- PUBLICA LIBER PRIMVS,

Interprete & enarratore

IOANNE GENESIO SEPVLVEDA  
CORDVBENSII.

## CAPVT I.



1. VVM 1 omnem ciuitatem societatem quan-  
2. dam esse, 2 omnemque societatem boni cuius-  
3. spiam causa constituisse, videamus, (omnia  
nanque eius 3 quod speciem boni præfert gra-  
tia, omnes agunt) dubitari non potest, quin om-  
nes locietates ad bonum aliquod spectent,  
sed ea maximè, & ad id quod in bonis princi-  
patum tenet, quæ cunctarum est facile prin-  
4. cept, & 4 alias omnes complectitur: hæc autè est ciuitas appellata, ci-  
uilisque communitas. Errant igitur, qui ciuilem, & regium homi-  
nem, itemq; patrem familias, & dominum, eundem esse putant, dum  
eos interesse non specie, sed multitudine & paucitate differre exi-  
stimet: vt si paucis præsit, dominus esse intelligatur: si pluribus, pa-  
ter familias: si pluribus etiam nunc, ciuilis, aut regius: quasi magna  
domus nihil differat à parua ciuitate. Nec illud sit discrimen in-  
ter ciuilem & regium, quod rex esse intelligatur, s cum ipse præ-  
5. est: ciuilis, cum pro 6 rationibus huiusmodi doctrinæ, modò præest,  
6. modò paret imperio Hæc autem non esse vera planius fiet, si pristi-  
nam 7 differendi rationem in hac quoque disputatione tenueri-  
7. mus. Nam vt in cæteris rebus necesse est compositum vsque ad in-  
composita secare, (hæc 8 enim sunt totius partes minimæ) sic intu-  
8. entes ea, ex quibus ciuitas consistit, horum inter se discrimina cla-  
rius perspiciemus: & 9 si dicta singula ad artem & præcepta reuoca-  
9. ri possunt, non latebit. Siquis igitur ab initio res quomodo nascan-  
tur intueatur, vt in cæteris rebus, sic optimè in his ea ratione philo-  
sophabitur. Primum 10 igitur omnium marem & sceminam, quo-  
10. rum alter alterius indiget societate, copulari necesse est procrean-  
di causa: idque non consilio, sed natura, quemadmodum in 11  
11. cæteris animantibus, & stirpibus vsu venit, quibus natura insi-  
tus

KYRIACI STRO-  
ZÆ DE REPUBLICA,  
LIBRI DVO  
NONVS ET DECIMVS.

ILLIS OCTO ADDITI, QVOS  
*scriptos reliquit Aristoteles, Græci  
ante facti.*

NVNC PRIMVM AB EODEM  
Stroza Latinitate donati.

FRANCISCO MEDICI  
DVCI DESIGNATO.

Kyriacus Stroza S. P. D.



**D**IS orte bonis, bonisq; parentibus, Hetrusca in-  
uentus Princeps feliciss. Quum Lalius Torelli viri  
ornatissimi, & optimi hortatu, Libros duos Poli-  
ticos, Græca oratione, ac stilo, à me compositos, an-  
no superiore ediderim, atq; octo illis adiunxerim,  
quos scriptos nobis reliquit Aristoteles, eos patri  
tuo inclito, Domine meo beneficentissimo, uti par  
fuerat, dicaui. Causas in epistola ad eum Celsiu-  
dinē scripta, enumeravi, quibus quidem tam cælidum negotium, attingere,  
& expedire, ausus fueram. Hos quum Lalius idem, & vidisset, & probasset,  
ut Latinos eos ipse itidem facerem, monuit, atq; hortatus est, asserens Labo-  
rem hunc à me hactenus susceptum, et exantlatum, paucis esse hominibus pro-  
futurum, hunc verò alterum, si se audiam, cum maiorem mihi laudem adla-  
turum, tum etiam multo pluribus hominibus profuturum: & quod omnium  
maximum, & antiquissimum nobis esse deberet, principibus, id est vobis Do-  
minis meis, idem hoc probatum, & placitum ire. Quum igitur viro amicissimo  
& optimo, optimeq; de me semper merito, negare non possem, præsertim  
reclā